ACAD
LUGD.BAT.
BIBL.

Vir illustris,

Fecit immensa illa, qua socerum meum complecteris, benevolentia, ut non leviter me tibi obstrictum existimem. Quippe si viris etiam parentibus liberos tanquam rerum paternarum dominos Leges agnoscunt, nec æris alieni, quod illi contraxere, incommodum hos declinare æquum est. Facio ergo libens, ut eorum beneficiorum, quæ socer meus alter recepit, me debendi velut reum non agnoscam modo, verum etiam constituam. Atque in eiusdem rei signum Hasce Vindicias nostras tibi mitto, eo conscriptas stylo, qui in Homine Batavo, et gravissimo quidem loco, si non laudari, excusari certe meo, forsan et tuo, iudicio debet. Quippe mortalis ille, cui nunc respondeo, non levius in me scripsit, ac si omnes belluas omniaque monstra, quæ [illegible] rerum natura infelici nixu ad omnium horrorem et detestationem produxit, in me uno effigiatum iret. Quod quamquam per se grave est, multo id tamen gravius videri debet, quod ab Homine neque probo neque iuris perito, iustam agenti causam ea contigerint. Talem quippe eum, talemque causam meam esse, libello quem ad te nunc mitto, nisi me animus vehementer fallit, mihi demonstrasse satis superque videor. Idque si tibi quoque videatur, nihil est quod ad votorum meorum summam addi posse existimem. Cum ea tibi eruditionis, ea iudicii magnitudo contigerit, ut plus uni tibi, quam reliquorum infinito numero deferendum putem. Vale. Datum Lugduni Batav. IX Martii Ao CIↃ IↃ CXLVI.

Illustri nomini tuo devotus,

Wilhelmus Goesius.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Goes) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4288

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Goes) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4288

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Goes) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4288

Viro Illustri, Constantino
Hugenio, equiti, Zulichemi
domino &c.

Hagam.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Goes) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4288